



Ad lectores nostros.

Anni novi, »Studiorum« nostrorum quinti limen nacti, *promissiones et desideria* proferentes ad lectores nostros convertimur. Quae promittere valemus, ad materiam et formam ephemeridis nostrae referuntur. Quae licet arctioribus circumscripta sit finibus, atque ita singulare dicendarum rerum genus constituat, tamen, ut ampla volumina, typis hucusque edita demonstrant, alternante formae varietate res diversissimas offert. Omnes operis nostri socii, quorum ex ordine nostro, ex clero seculari et ex laicis bene magnus est numerus, praeclaram dederunt operam, ut operis nostri proposito omni ex parte satisfaceret; quibus omnibus pro collato hac in re labore singulares gratias agimus. Similiter gratias pendimus omnibus illis P. T. viris spectabilibus, diversas ephemerides actaque diurna recensentibus, qui »Studiorum« nostrorum mentionem facientes suo eadem iudicio cohonestarunt. Ex eorum censuris probe notavimus, quidquid ad utilitatem et commendationem ephemeridis nostrae momenti quidpiam adferat. Nihilominus tamen sincerissimo conatu haud effici posse scimus, ut omnium optata omni ex parte expleamus; *neque facile redactorem invenias, qui omnibus lectoribus omnino satisfaciat*. Nunquam profecto, id quod amici et inimici nostri agnoscunt, labor ingenuus nobis deficit. Jam ab initio »Studiorum« nostrorum omnis omnino aemulationis cum aliis libellis diurnis expertes, quoad materiam et formam pari passu cum aliis similibus ephemeridibus trimestribus progredientes, promissiones nostras expevimus et *iustis* expectationibus satisfacimus; cuius rei documenta in redactionis nostrae capsulis asservantur. Neque vero

hac in re acquiescimus. Totum satis amplum epistolarum commercium nostrum testatur, nos continuo in id esse intentos, ut novas vires adquiramus, adquisitisque promte ac provide utamur. Jam fere in omnibus terrae partibus laborum nostrorum socios habemus. Ubicunque vires operi nostro convenientes, praesertim in ordine nostro reperimus, easdem »Studiis« nostris conciliare conamur; id quod nova collaborantium nomina, quolibet ephemeridis nostrae anno emergentia, demonstrant. Difficultas operis apparatu tam amplo, tamque late diffuso laborandi pronam nobis faciat veniam eorum, qui fortasse altiora desiderant. Hoc commercio nostro in omnes partes extento confisi »Studia« nostra omnibus viribus continuabimus. Novus anni cursus omnia, quae eum indicantes in ultimo anni 1883 fasciculo promisimus, explebit. Argumentis rerum dicendarum optimis, studii sollertissimi et interdum multorum annorum industriae fructibus non caremus. Omnia argumenta, in fasciculo IV. ultimi anni cursus indicata, ex ordine typis exprimentur. Hisce multa alia, praecipue theologis et historicis commendanda, subiungentur. Animarum quoque curae actuali animum advertemus. Ea re maxime illis sacerdotibus nostris nos gratificaturos esse confidimus, qui praecipue animarum cura occupantur. Illis ergo »Studia« nostra velimus commendata, ut in dies magis cognitum perspectumque habeant propositum nostrum efficiendi, ut ephemeris nostra trimestris rerum communicandarum via atque meta ordinis nostri *primaria* existat. Omnis generis doctrinae atque scientiae magna ratio habebitur. In annuntiationibus et colloctionibus nostris nullum novum mercaturae librariae opus praeteribimus, in illo scientiarum genere, quod proxime ad nos refertur, conspicuum et memorabile. Extenta commercia, cum primariis bibliopolis in nostris externisque terris a nobis inita, id commodissime fieri posse facient. Grato animo in illos bibliopolas, prompte nobis gratificantes, firmo proposito omnem dabimus operam, omnem movebimus lapidem, ut scriptoribus catholicis vim in dies magis praevalentem conciliemus. Qua in re quatenus auxilio P. T. sociorum laboris nostri confidamus, ex singularibus literis circum eam rem ad eos dimissis plane perspicitur. Hac ratione in tribus illis sectionibus cuiusvis fasciculi operis nostri, quam formam etiam porro retinebimus,

illa peculiaris indoles exprimatur, quam ordo noster velut notam sancti fundatoris sibi impressam prae se fert. Germanos, Slavos, et Hungaros, Franco-Gallos, Italos, Anglos etc. non nisi fratres nostros consideramus; his omnibus »Studia« nostra pariter destinata sunt; horum omnium ingenii operibus inserendis aperta. Hac in re posthac nihil mutabitur. Quamquam proferendae materiae ad id tempus sermone latino et germanico proponebantur, tamen pro rerum opportunitate propositum nostrum cuiuslibet scriptoris ingenii opera in sermone eius patrio inserendi constanter observabitur. Utinam ea rerum opportunitas mox contingat! Brevis eius opportunitatis expositio, prout nos eam exoptamus, simul, quid a lectoribus nostris desideremus, exhibebit. Multitudo eorum, quod hucusque dolemus, est restrictior, numerus eorum minor, quam cuius adiumento saltem magnos ephemeridis nostrae sumptus sustineamus. Si pro exigua solutione in antecessum [facta (quam praenumerationem dicimus) iam multa praestamus, quanto magis amicis et fautoribus nostris satisfacere possemus, si in familiarium suorum congressionibus eniterentur, ut »Studiorum« nostrorum divulgatio augetur. Convertam u contra hoc respectu oculos ad tales libellos diurnos, qui, quia libere sentientibus debent originem, plerumque luxurianti sensuum voluptati satisfaciunt, vilibusque omnis generis argumentis emporia literaria complent. Quam multa huius generis incepta emergant hodie, lectores nostri bene norunt. Si quod inceptum eiusmodi, a faventibus lectoribus in augendo ementium numero sublevatum, iam altero suscepti operis anno sexies mille subsignatos emtores obtinuit: nos quoque profecto, si amici et fautores, imprimis coenobitae nostri similiter in rem nostram agerent, laetio rem operis nostri progressum cerneremus. Omnia sane operis nostri exemplaria, etiam aucta editione, divenderentur, si singuli p. t. Reverendi Patres ordinis Benedictini et Cisterciensis, quoad fieri potest, »Studiorum« nostrorum subsignatores fierent aut amicorum suorum aliquem nobis conciliarent. Exempla ex laicorum numero, quae adferri possent, nimio nobis pudori essent. Quamobrem fratrum nostrorum benevolam desideramus operam, ut accedentibus eorum adiumentis, quod praesentium subsignatorum numerus optandum relinquit, prospere consesquamur. Annua pecuniae conferendae summa prorsus tam

exigua est, ut etiam in tenui sorte positi eam solvere possint. Ceterum ephemeridis nostrae comparatio clero receptis missis ad intentionem celebrandis magnopere facilis redditur. Agendi ratio partium studio tracta, persaepe ibi manifesta, ubi opera contrarii propositi a clero sublevantur et augentur, se ipsam contaminat. Quam egregia verba SS. Dms Leo XIII. in literis 18. Augusti 1883 datis de christiano historiae studio et de editione operum catholicorum promovenda protulit! Utinam ea omnium animos tangant atque moveant! »Serpere audacter,« conqueritur Summus Pontifex, »mendacium videmus per laboriosa, volumina et exiles libros, per diariorum volitantes paginas« . . . et deinde prosequitur: »Illud vero gravius est, hanc similitudinem tractandi historiam ipsas in scholas invasisse« . . . Nonne in tali rerum conditione, ab ipso ecclesiae capite affirmata, sanctissimum cuiusvis hominis, sanctae ecclesiae sincere dediti, officium est, catholicorum operum editionem omni modo adiuvere? Nonne ii, qui rem talem negligunt aut contrarium agunt, gravi opprobrio digni videntur? Nonne igitur etiam nobis iure quodam nostro desiderandum est, ut ab amplioribus et constantioribus ephemeridis nostrae emtoribus subsignatis adiuvemur? Non enim sociorum laboris numerus solus est, qui inceptum literarium maiore in dies adornat incremento; sed una cum illo etiam multo magis emtorum numerus est, quo adiumenta necessaria conquiruntur. Momentum, in quo existimatio rei nostrae agitur, nempe »Studia« nostra in perpetuam iubilaei ordinis nostri memoriam esse suscepta, velut transitorie commemoramus. Supremam studii historici legem, quam Leo XIII. tam breviter et astrictè his verbis proponit: »ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat, ne qua suspicio gratiae sit in scribendo, ne qua simulatio . . .« semper vexillo nostro inscriptam servabimus. Fratribus autem, amicis et fautoribus nostris immutata nostroque rerum statui conveniente ratione acclamamus: Omnes igitur, in quibus vera ordinis Benedictini et Cisterciensis inest caritas, si sapiant et vera videant, in eo maxime debent studium curamque impendere, ut amoveantur funesti »Studiorum« status causae, et redactioni, in omnibus et singulis sacrae Sedi Romanae obsequentissimae, tam aequa postulanti ac de iuribus suis sollicitae, ea qua par est ratione satisfiat.

Utinam Dei filius festo nativitatis suae id nobis largiatur, ut intima optata nostra expleantur, omnibusque, qui nobiscum faciunt, dona coelestia ad salutem et in praesens et in perpetuum contingant!

Raigradii, 20. Decembris 1883.

Observantissima

redactio »**Studiorum.**«